



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,  
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII**

De iudiciis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

15. Et certe quavis Ioannes Delugo, de Iustit. com. 1. d. 16. num. 106. non audeat universaliter hanc sententiam approbare, tamen in particularibus quibusdam eventibus, quos Doctores afferunt, (asseram ego mox num. 25. exemplo 19. & 20. & §. 4. num. 31. nonnullos) non invitus approbat; quia, inquit, fortasse in particularibus casibus Doctores id propter aliquod caput concedere valuerunt; cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere poterint.

16. Audisti, Lector, illud (modo non sit deducta ad forum contentiosum) & illud (modo cesset scandalum, & turbatio) quæ certe turbatio solet magna sequi, quando proceditur ad bellum, Et illud restrictivum (saltem ad aliquos casus) & illud (Doctores non audent, hanc sententiam universaliter approbare) & illud, non viderunt caput; unde in omnibus casibus idem concedere poterint.

17. Quod si Joan. Sanch. alique nempe Suar. Thom. Sanch. Navar. Reginald. Malder. Victoria, Covarr. Filluc. quos pro se Joan. Sanch. disp. 44. a num. præteritum §8. aliquid plus concedant, quam concedat germana Tamburini doctrina, fides apud illos sit, cum Tamburinus non approbat sententiam Joan. Sanch. absolute. Et, quando addit præterea num. meo §. 6. num. autem suo 31. & 32. ex bonorum Doctorem auctoritate inferri bellum posse, video, ostendit se id videre, non tamen absolute approbare. Et quando num. meo 14. suo autem num. 15. dicit, eam sententiam non esse censendam improbabilem, addit limitationem (saltem quo ad aliquos casus) non ergo universaliter.

## CAPUT XIII.

## De subditis quoad Gabellas.

1. BARON. XII. **H**abet etiam rationem subditus, non habeat compertam æquitatem.

2. Hæc audes comminisci, & ne legisti quidem Textum Authoris? Faciam ego ut hinc legas, & sane absque magna ingenii contentione intelligas. Doctrina Tamburini hæc ipsissima est.

3. TAMB. Subditus (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. ver. Gabella) qui omnibus expensis dubitat, an Gabella sit iuste imposta, teneturne illam solvere? teneri docent alii, ut Less. & Malder. apud Caramuelem mox citandum, quia possessio iustitiae præsumenda est pro Principe. Non teneri putant Villal. Castrus, Aragon, Molin. Filluc. Sylvest. alique apud Caramuelem mox citandum, quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de iustitia. Caramuel lib. 3. Theolog. mor. num. 1466. asserit tributa, sive nova sive prisca non poni leviter, sed magna consideratione, ergo dubia nequaquam erit tributum iustitia, sed certa, vel probabilis. Si certa omnino debetur, si probabilis non debetur, quia probabilis neminem involuntarium cogunt, nisi in ea Rep. esset lex acceptata, ut subditi teneantur ad obediendum, etiam in materia probabilis. Omnes hæc tres sententiae sunt probabiles, quia bonis fundamentis inniuntur, & Ianuarius quidem p. p. resp. 51. citans Lessium, aliosque contra Suar. docet, non teneri quempiam ad Gabellas, non solum quando dubie, sed nec quando opinabiliter solum sunt iusta, eius doctrina fides sit apud ejus auctores.

4. Duas igitur hic secernit Author quæstiones, altera est, an, quando, omnibus expensis, dubitatur, num Vectigal, seu Gabella sit iuste imposta; liceat eam non solvere. Et licere, dicit, esse probabile cum Villalobos, Castro, Aragonio, Molin. Filluc. & tui Ordinis Sylvestro; & cum priore parte dicti Caramuelis, quia tunc dubia est obligatio solvendi, at possessio libertatis, & rerum subditi, certa. Altera est, quando Gabella est solum opinabiliter (quod idem est, ac probabiliter) iusta, licite possit ab ejus solutione se subtrahere subditus; & dicit, Ianuarius citantem Lessium, aliosque docere, utique licite posse. Sed noster Tamburinus expressis verbis vel non assentitur, vel decernere refugit. Nam sic addit: Cujus doctrina fides sit apud ejus Doctores.

5. Qua igitur ratione absolute asseris, Tamburinum eximere subditos a solutione Vectigalis, cuius non habent compertam æquitatem, cum ipse, vel non requirat ad obligationem solvendi, ut compertam, hoc est, certam habeant æquitatem subditi; vel si habeant opinabilem, id est, probabilem, remittat ad eorum Doctorem fidem.

6. Et consequenter quando illas tres sententias esse probabiles, censet Tamburinus, cum quæstio proposita solum fuerit de casu, in quo res est anceps, seu dubia, solum pro eo casu dubii tres illas sententias ipse approbat. Nam, quoad posteriorem partem dictam à Caramuele, quando scilicet iustitia vectigalis est probabilis, jam id erat Tamburinus relicturus apud aliorum fidem. Video clarius potuisse, & distinctius loqui Præceptorem meum, addendo sic Cujus doctrina fides sit apud ejus Doctores, & apud Caramuelem quoad posteriorem partem sui dicti. Sed excusandi sunt Scriptores, nam multa sæpe omittunt, quæ accuratus lector ex contextu, & ex præcedentibus, & subsequentibus ex se ipse intelligat.

## CAPUT XIV.

## De Indicibus.

1. BARON. XIII. **N**on sunt expertes ejus libertatis, & beneficiorum Indices. Quia omnia profert ex inexhausto probabilitatum Theauro, & Promptuario.

XIV. Inde asserit illis ius rerum omnium, quarum licet apud ipsos moveatur, ut visum fuerit abdicationis, & adjudicationis quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria.

2. Et rursus audes dicere omnium? omniumne legisti in Tamburino, nec notasti, quam caute ipse ratiocinetur? Et, ut fiat dignum patella operculum, addere audes de tuo consecutionem illam, Quam vendere quis vetat, cum sit gratuita, & arbitraria? Tamburinus hanc consecutionem prorsus inde in suo Decalogo negat, quia antecedens, unde colligi poterat, improbabile omnino putat. Sed hunc locum Baronius, vel non legit, vel dissimulavit; legam ego, & benevolis lectoribus legendum mox tradam, ut potè qui fideliter loca Authorum referre, profitear.

3. Sed prius illud agamus, quod prius proposui.



eam est, nempe illud (omnium) postea de consecutione superaddita.

TAMB. Si omnibus expensis, (ait lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. ver. Iudex) si civilis sit dubia, neutro ex litigantibus possidente (nam alterutro possidente,) si non erit dubia, sed probabilis pro ipso possidere, ut supra §. 4. à num. 1. vidimus, quem locum omnino recole, si sit, inquam, civilis sit dubia, Iudex non potest, nisi rem dividere, idque propter officium Iudicis, ut ibidem late dictum est. In lite, seu causa criminali Reus erit liberandus, ut ex ibid. num. 10. dictis colligi potest.

4. Hoc nempe est rerum omnium, quarum sit apud Iudicem moveretur? & hoc item est (ut visum illis fuerit.) Verum legamus etiam locum, ad quem nos remittit Tamburinus. Ubi quam frequenter, & quam contentiose infringatur istud (Omnium) aperitissime constabit.

5. TAMB. num. 1. Dico primò si sint rationes (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 4. equaliter probabiles circa factum inter civiliter litigantes, Iudex non potest sequi, quam maluerit, opinionem, sed tenetur rem modo mox explicando dividere. Sic Salas, Villalob. Coninck. Sanch. alique apud Castrop. tom. 1. tract. 1. d. 2. p. 10. numer. 2. quibus adde Layman lib. 1. §. 3. numer. 16. Ratio est, quia iuxta nuper dicta hic aliquid obstat, ne probabilem quamlibet opinionem Iudex sequatur; est autem ipsum munus Iudicis. Prescribit enim lex, imò ratio ipsa dicitur, ut ex officio, vel ex pacto tacite into cum Reip. Iudices inquirent diligenter, quantum possunt, veritatem, & Iudicem secundum allegata, & probata, merita causa ponderando. Adjudicent ergo rem melius probanti; vel si major ratio non adsit pro alterutro, dividant utrique. Quid si res sit individua? aliqua ratione res componatur inter partes, dando uni rem, alteri estimationem sua partis, & si sic litigantes quiescant (cum non sit major ratio, cur uni res adjudicetur, alteri pretium) forte poterit sit, quod ad hoc, definitur. Ita Merolla tom. 1. d. 3. c. 4. dub. 3. concl. 4. n. 170.

6. Num. 3. Ex hac conclusione vides primò, cur privatus possit auctoritate propria dare crumenam illam modo dictam Petro, vel Paulo, ut libuerit; Idem autem non possit Iudex ex officio, qui tenetur eam dividere. Vide supra §. præced. num. 27. v. sept. mo si sint. Ratio enim est, quia Iudex debet sarta testis custodire merita causa ex pacto into cum Republica cum privatus, quia à simili pacto libet existit, utatur jure suo, sequendo opinionem, quam malit, probabilem; & sic illa circumstantia muneris Iudicis facit pro ipso proxime improbabilem opinionem illam, qua proxime probabile est pro privato.

7. Num. 4. Vides secundò, cur aliqui (& quidem merito) limitant hanc conclusionem, ut Iudex in aliquibus civilibus causis, puta dotis, matrimonii, libertatis, pupilli, peregrini, vidue, locorum piorum, que sunt cause privilegiatae non possit rem dividere, sed obligetur ad ferendam sententiam pro his Privilegiatis. Ratio enim est, quia lex, quam servare tenentur Iudices, decrevit, ut hisin paricafu faveretur: id, quod si est otium, vide fusius apud DD. Lege cap. fin. de sent. & re judicata. Mascard. de probat. v. opinio, n. 14. concl. 1143. 10.

8. Num. 5. Dico secundò, si rationes circa factum inter eosdem civiliter contententes, probabilis pro uno probent, quam pro altero, tenetur Iudex probabilis probanti rem per suam sententiam adjudicare. Sic Sanch. d. 44. n. 51. §. in secundo. Ratio ducitur ex eodem principio, quia Iudex ex legibus, & pacto into cum bono pu-

blico, ferre sententiam debet pro melius probante causam suam. Excipe, nisi majoritas probabilis sit adeo exigua, ut (quia modica) pro nihilo reputanda sit: non enim recurrendum erit ad præcedentem conclusionem.

Num. 6. Major autem probabilitas emens ab opinione Iudicis, si ex parte facti, si ex parte iuris, pensis, prudentis arbitrio est ponderanda; & quidem raro tanta potest esse major probabilitas, ut etiam illi, cui minor probabilitas faveret, possideat, debeatque illi a possessione depelli; id enim Iudici ex officio inmanis, ut dictum est.

9. Num. 7. Dico tertio, si rationes circa factum probent aequaliter pro collitigantibus civiliter, non inveniuntur rationes circa factum, ut impediant, si de factis alio possideat, vel quod dixi num. 40. Iudex non potest, ut equum puto, rem, cui maluerit, adjudicare, sed modo prædicto ante dicto, debet rem dividere. Ratio est, quia melius videtur esse, quia non video, cur hic non militet eadem ratio, quæ à Iudicis munere, modo inculcata. Quæ, licet, rem videri perpende, nam summam paritatem, ne dicam identitatem invenies. Dixi (ut ego certum puto) nem perperam extrinsecam bonorum Doctrinam auctoritatem, assensum in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit sententiam pronuntiare, potest, ut probabilem si velis, amplius enim limitationibus dictis. nu. 4. Lege Merol. tom. 1. d. 4. c. 4. numer. 182. Ita Sanch. in Decalog. lib. 1. c. 4. numer. 45. Franc. Delugo p. 1. de cur. quest. 8. numer. 66. Texeda tom. 1. contra Mar. lib. 1. contra 15. alique.

10. Num. 8. Dico quarto, multo magis res sit indivisa dividendo modo dicto est in Civilibus, si rationes tantum circa factum, quam circa factum aequaliter probantes, Sit lib. 1. c. num. 166. Bannez, Sanch. Layman, alique eundem. Id enim multo fortius probat dictum Tamburinus, ita ut aliqui, qui nobis adferantur in præced. conclusionem, altero hanc præsentem amplectantur.

11. Num. 9. Dico quinto, si rationes circa factum probent magis pro uno, quia pro altero in litigantibus civiliter non potest Iudex nec dividere etiam pro rata probabilitate, ut tri buere cui maluerit, sed ferre sententiam debet pro probante maiorem probabilitatem in iure. Semper exceptis, nisi majoritas sit exigua; nam tunc iuxta regulam communem, parum pro nihilo reputandum erit, & putandum, ac si essent rationes aequales modo jam dictis. Ita Sot. Val. Tanner. Suar. Sane. Beller. alique quos citat, & sequitur Pater Bardi, de conlic. d. 27. num. 10. Ratio autem nostri dicti est, ipsam opinionem Iudicis toties repetitum, quod hic ubi agitur de iure, juxta quod Resp. vult Iudices dirigi, permaxime limitari.

Scio, Doctores non infima nota contrarium asserere, & Ioan. Sane. Salas, Texed. Gaff. Hg. ad. alique apud Bardi l. c. putant enim in hoc casu posse Iudicem, cui voluerit, rem adjudicare, quia semper probabilis, atque adeo prudenter adjudicabit. Sed prædicto non probabiliter proxime propter novam hic superadditam rationem muneris Iudicis; nolo tamen à probabilitate saltem extrinsecam tantorum sententiam Doctorem excludere.

12. Non nemo hoc est Pater Bardi l. c. à numer. 14. admittit hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto adatum, illamque per acriter probat. Sed deinde l. cit. numer. 20. non admittit doctrinam à nobis modo num. 8. in quarto dicto traditam. Verum nec ipsa sententia disparitatem affert, nec solidam asseri posse videtur. Hæc omnia habet Textus.

13. Quæ



13. Quot divisionibus, & limitationibus, Tamburinus Judicis potestatem restringit? & nihilominus Baroni dicit, ipsum concedere illis ius rerum omnium, quarum lis apud eos movetur.

Venionunc ad consecutionem, quam ex suo in exhausto thesauro, & propriæ voluntatis Promptuario educit Baroni, hoc est illam (quam vendere quid velit, cum sit gratuita, & arbitraria) de hac venditione sic habet noster Author.

### Venditio Sententiæ Probabilis.

14. TAMB. Occurrit hic non absimilis difficultas (ait lib. 8. in Decal. tract. 3. c. 7. §. 13.) in Iudice. Supponamus probabilem esse eam opinionem, de qua latè dixi lib. 1. c. 3. quam præter ibi citatos sequitur Dicast. lib. 2. de iust. tract. 1. d. 5. dub. 7. à num. 280. licere Iudici ex duabus opinionibus aequè probabilibus unam eligere, & juxta illam proferre sententiam. Iam inquiri, licetne, & iuste accipiet Iudex pecuniam, ut potius illam eligat, quæ mihi faveat, quam illam, quæ meo adversario?

Respondeo: cum illam sententiam ego improbabilem judicaverim, & pluribus reprobaverim ibidem, consequenter assero, locum hic non habere questionem hanc, eam tamen legat, qui velit apud Less. lib. 2. c. 14. d. 9. num. 64. Val. 2. 2. quest. 63. art. 4. d. 5. q. 7. p. 4. Salon. 2. 2. quest. 62. art. 4. contr. 2. Ac probabile indicat Fag. lib. 8. in Decal. præcept. c. 26. num. 34. licet probabilis putet oppositum.

15. Ubi in his postremis verbis cum dicit Author (at probabilis indicat Fagundez) Iam refert hujus iudicium, & non approbat, cum ipse modo dixerit, eam sententiam improbabilem esse, & à se pluribus reprobata.

16. Unde etiam videre potes, tamen modo num. meo. 9. num. autem suo 7. & iterum num. meo 11. num. autem suo 9. fine, dixerit Tamburinus, propter auctoritatem extrinsecam posse Iudicem ex duabus probabilibus Opinionibus eligere, quam malit, tamen hic, dum inculcat eam libertatem in Iudice fuisse à se reprobata, audeo suspicari, si quid antea forte Tamburinus concesserat, ipsum nunc retractasse, dum tam expresse, ut dico, docet, eam sententiam fuisse à se reprobata pluribus.

Præterea recolere, quod supra cap. 12. num. meo 15. dixit ex Delugo Tamburinus, hoc est, in aliquibus casibus fortasse Doctores aliquid, propter aliquod caput, concedere valuisse, cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere potuerint. Recole, inquam, id, fortasse enim simili modo aliqui ex illis Doctoribus, qui concesserunt eam libertatem Iudici in sententia ferenda, non propterea statim concedent, sententiam illam, posse ab eodem vendi. Ab hac enim consecutione dum illi abstinere, fortasse indicant aliquid vidisse, unde illam deducere non potuerint. Baroni vero nimis citò eam consecutionem efformare non dubitavit.

## CAPVT XV.

### De Furibus.

I. BARON. XV. **Q**ui adeo largus est in Iudice, non est parcus in Furibus, &

Reis. Permittit, constante gravi necessitate, cuique non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.

Duo hic consideranda proponuntur, alterum (instante gravi necessitate permittit propria occultare bono publico.) Alterum (permittit in eadem gravi necessitate, etiam aliena surripere.)

2. Quoad prius, offeram Tamburini germanam doctrinam, & à Doctoribus comprobata de occultatione propriorum Bonorum, quæ solet fieri Fisco, volenti occupare bona confiscata. Id enim (puto) intelligit Baroni per illud (bono publico) nam si per hæc verba intelligat bonum publicum Reip. quod periclitaretur, si occultarentur bona privatorum necessaria ad dictam Rempublicam conservandam; certè valde diversa questio esset, quam latè, & cordatè cum suis necessariis distinctionibus tractat Tamburinus lib. 7. in Decal. c. 1. §. 1. à num. 6. quiloque, quia ad rem nostram minimè pertinet, legatur ab eo, cui est otium, & id sciendi cupiditas. De occultatione igitur bonorum facta Fisco, quæ videtur tandem aliquo modo facta Reip. atque adeò bono publico, ita habet Tamburinus.

3. TAMB. Secunda Regula (ait lib. 2. in Decalog. c. 1. §. 4. num. 10.) ex DD. mox citandis. Sive dicamus, talem hæreticum amittere dominium suorum bonorum à pectore commissi criminis, sive non amittere, certum sit non obligari in conscientia, ante sententiam se spoliare suis bonis, seu ea Fisco tradere. Ratio huius Regula est, quia extra potestatem legislatoris humani est posse per legem obligare delinquentem ad exequendam contra seipsum poenam gravem, & acerbam; cum bono communi repugnet talis obligatio; est enim humana infirmitati contraria, multaque transgressionibus obnoxia; at gravissima poena est, sua substantia amittende quempiam executorem constituere. Ex hac Regula vides, quantum juventur delinquentes, non solum in hæresi, sed etiam in aliis criminibus, quibus ipso facto annexa est poena confiscationis: possunt enim sine scrupulo retinere, & frui suis bonis, donec deur sententia declaratoria saltem criminis. Possunt item, ante eam occultare sua eadem bona & Fisco non tradere, nec Fisci ante dictam sententiam potest sibi ea accipere, quia delinquentes adhuc iure possident. Solum posset Fiscus ea sequestrare, & aliquid custodiendi tradere, ne distrabantur. Possunt denique ea dando, alienare, vel vendendo, modo ea recipienti damnum evenire non possit; quia licet illa alienatio annullanda veniat, tamen donec annulletur, valida est. Si igitur ex futura annulatione damnum proventurum non sit recipienti, non est unde illicita censeri possit. Ita Sanch. lib. 2. in Decal. c. 12. num. 69. Farin. de hæresi, quest. 190. §. 5. num. 82. Bonac. d. 3. de contr. q. 8. p. ult. §. 3. n. 4. aliique ab his citati.

4. Tertia Regula ex Doctoribus citatis (adde & Castrop. disp. 5. punct. 18. num. 3.) Post sententiam licet possit delinquens retinere ea bona, paratus tradere, si exigantur, nec obligetur ea offerre, seu manifestare Fisco, tamen non potest possidere resistere ejus executioni. Ratio posterioris partis Regula est, quia post sententiam Fiscus acquirit perfectè dominium illorum bonorum. Ratio prioris est, quia nimis durum esset, obligare delinquentem ad exequendam tantam poenam contra seipsum, quare præsumitur, tamdiu lex concedere ea bona fruenda delinquenti, donec Fiscus exigat. Quam legem sequitur Covarr. Simanc. Azor. Mobn. Sanch. Bonacin. Suar. Farin. ab eodem ibid. cit. Scio Castropalaum l. cit. num. 6. contrarium nobis esse in hac priori parte Regula; quia si delinquens, ait, amittit omnino